



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Honore, Dignis Vel Indignis, Jvste Vel Inivste, Deo
Semper Jvstissimo, Dato, Negato, Violato**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

§. 7. Confusio in medicinam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48689](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48689)

re vicissim? An non mulier, seu anima potius in ruborem danda est, qua confusione res dignas gerit? Numquid, *Qui prius respondet, quam audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum?* Deniq; sicut honor & gloria in sermone sensati, ita lingua imprudentis subuersio est ipsius. Non appelleris susurro, ait idem, & lingua tua ne capiaris, & confundaris. Super furem enim est confusio & poenitentia, & denotatio pessima super bilinguem: susurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia. Hæc talia, isti tales merentur. Atq; utinam icti saperent, ne operiantur, sicut diploide, confusione sua, & non solum in hac vita, sed etiam in altera, æterna confusione induantur.

Prou. 12.

4.

Prou. 18.

13.

Eccli. 5. 15.

§. VII.

Confusio in medicinam

Est enim confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gratiam & gloriam: tum scilicet, si admoniti de errore resipiscant. Hinc ait Psalmista: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum, Domine.* Postest enim contemptus & ignominia aperire homini oculos, ut & suam videat miseriam, & mundi agnoscat vanitatem. Qualem historiam ex PP. Dominicanorum Annalibus recitat

Eccli. 4.

25.

Psal. 82.

17.

Hieron. recitat Hieronymus Platus, in hunc ferè
Platus modum: *In eodem quoque Ordine (Domini-*
lib. 3. de *cano) eodem etiam ferè tempore, illustris fuit*
bono stat. *omni item sanctitatis & doctrina laude Petrus*
Relig. *Consalvus, cuius conversioni causam dedit res*
cap. 38. *lensis in speciem, sed qua mundi vanitatem ei pla-*
nè ostendit. Nam cùm Episcopo Valentino ne-
pos esset, & ab eo opima beneficia adolescentulus
adhuc ante legitimam etatem consequutus esset,
quibus ille ad delicias, & inanem fastum frue-
batur, ita contigit, ut quadam die, dum in equo
vnà cum aliquot aequalibus tota vrbe, hìc, illic,
lasciuiret, in profundum lutum caderet; ex
quo cùm totus madidus ac cœnosus extractus es-
set, accidit insuper ut à puerorum manu, qua
fortè circumstabat, cum risu & scommate mul-
to procaciter exciperetur. Qua re pudore suffu-
sus, sibiq; ipsi iratus, ita secum loqui cœpit;
quandoquidem sic à mundo, cui seruierat, tra-
ctaretur, se quoque vicissim eum tractaturum,
ut decebat. Itaq; eodem momento constituit se
Deo famulaturum, quod etiam paulò post cum
Polydor. *magna civium omnium admiratione aggressus*
Virgil *est in ea, quam dixi, familia. Quin & regum*
circa finē *superbia domita est contusione. Canucus*
lib. 7. ex *Daniæ rex & Angliæ, aliquando sedili in-*
Chron. *littore posito dixisse fertur; Mare regni mei*
German, *para*

parses, itaq; mihi obtemperes: volebet nimirum, vt homines dicerent: *Qualis est hic*, Matth. 23. *quia venti & mare obediunt ei?* Sed aliter res 27. conuenit, nam protinus contrarium factum est: mox enim mare, impetu facto, sinum eius liberaliter irrigauit. Quare territus rex uuidis vestibibus de solio surrexit, & tam laute habitus, *Vana est*, dixit, *omnium regum potestas: solus Deus omnipotens.* Itaque corona Crucis imposita, post illa, pietatis cultor, & modestiae exemplum fuit. Mare igitur, *Dum non pareret, docuit parere;* & regem, quem voluit docere, cuius potentiae esset, pudefecit.

CAPVT XIV.

Hypocritas detectos iustissime, pro quaesita laude, ignominijs omnibus appeti & concidi.

S. I.

Quibus similes sint Hypocrite?

Dlogenes cuidam sibi placenti, quod leonis exunio tectus ingrederetur: *Non tu desines*, inquebat, *virtutis stragulas pudefacere?* scilicet indecens esse existimabat, quod homo mollis Herculis *amicium*

Laerte lib. 6. cap. 2.